



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita B. Francisci Xaverii

Torsellini, Orazio

Coloniae Agrippinae, 1610

XVII. Confessarios Societatis quales effingeret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42323

necessariæ suppeterent, nihil ab aliis accipere oportere, quòd dona eripiant libertatem. Caterùm si parua quædam mitterentur, indicia beneuolentiæ veriùs quàm munera, non esse respuenda, ne amicitiam respuere videaris.

CAPVT XVII.

Confessarios Societatis quales effingeret.

CONFESSARIOS magnopere hortabatur, vt in confessionibus audiendis, animorum sanandorum cupidine accensum, comiter benigneque confitentes exciperent: quo spiritualium medicorum lenitas eos pelliceret ad omnia conscientia suæ vulnera haud cunctanter aperienda. Proinde ne initiò præsertim confessionis grauitatem seueritatemque præ se ferrent, sed facilitatem potiùs ac lenitatem. Itaque Patri Gaspari Armuziam ituro tale præceptum dedit: Videndum est etiam atque etiam, ne inter audiendas confessiones metu obstet libertati, seuerè excipiendo delicta; sed pugnandum potiùs, vt timidis animum comitas addat, diuinam effundendo clementiam, hominumque noxas eleuando, donec libero animo atque ore peccatorum omne euouerint virus. Et

*Confessarij
benignitas
in audien-
do.*

›› in hoc genere cautio adhibenda est vel
 ›› maxima. Neque enim desunt qui pudore
 ›› impediti commissa scelera maiore scelere
 ›› suppressant, salubri confessionis remedio in
 ›› perniciem verso. Quocirca aduersus exitialem
 ›› illam verecundiam omni ope & arte certandum
 ›› est. Flagitiis eliciendis non alia via expeditior,
 ›› quam denunciare, nos longè grauiora scēdioraque
 ›› aliorū cognouisse facinora; & simul illa ipsa,
 ›› quæ timidè cunctanterq; exposuerint, aptis
 ›› extenuare verbis, vt facilitate confirmatus pudor
 ›› fidentiùs reliquas vitæ aperiat labes. Illud
 ›› verò ad liberam vocem exprimendam vltimum
 ›› (etsi rarò assumendum cauteq;) auxilium est,
 ›› vt tua superioris vitæ peccata generatim scilicet
 ›› vniuersèq; significes: quod ita esse ipse te
 ›› vsus docebit ac dies. Hanc ille rationem aduersus
 ›› timidos præscribat: aliam porrò aduersus diutinis
 ›› flagitiis sceleribusq; implicitos: Donec confitens
 ›› delicta omnia euouisset, inter fiduciam metumq;
 ›› hæsitanti animos facerent diuinæ clementiæ
 ›› misericordiæque commemoratione: nominatimq;
 ›› proferrent homines nefandis sceleribus infames,
 ›› olim in gratiam à Deo receptos; in quorum
 ›› numerum ipse quoque venire possit, si pari
 ›› ingenuitate ac dolore sua

*Remediū
 aduersus
 verecundiam
 confitē
 tium.*

*Scelēsti
 homines
 quomodo
 accipiendi.*

sua confiteatur facinora. Ad vltimum,
 perspectis omnibus conscientiaē vulneri-
 bus, eorum grauitatem ac turpitudinem
 acriter ostenderent; fluctuantemque a-
 nimum impendenti numinis ira, suppli-
 ciisque in homines consceleratos diuini-
 tus expetitis territando, ad odium dolo-
 remque compellerent peccatorum: ab-
 solutione etiam, si res poscat, in aliud tē-
 pus dilata. *Obstinatis verò animis non*
 modo æterna inferorum supplicia, sed et-
 iam pœnas in hac vita ab hominibus fa-
 cinorosis exactas proponi iubebat, nomi-
 natimque notos aliquot appellari, qui sua
 demum scelera grauibus & atrocibus
 luerint suppliciis, vt documento sui simi-
 libus forent. Ac se vsu doctum aiebat, ta-
 les homines longè plus præsentibus cor-
 porum fortunarumque detrimentis com-
 moueri, quàm futuris animorum crucia-
 tibus, qui procul abesse videantur. Si quan-
 do locupletes atque opulenti negotiato-
 res, Magistratus, aut Præsides vitæ solu-
 tionis ad confessionem accederent, ante
 omnia censebat eos sedulò admonēdos,
 vt sumpto spatio bidui triduiue, intentius
 in anteaactā vitam suam inquirentes, deli-
 cta omnia (si diffiderent memoria) man-
 darent literis, dolorisque sensum contritio-
 nemque à Deo suppliciter peterent. Inde
 prin-

*Obstinatis
 quomodo
 flectendi.*

*Implicari
 negotiis ho-
 mines quo-
 modo acci-
 piendi.*

principio confessionis, rationem ab eis exquirendam dicebat munerum curationumque quibus præessent, negotiorum quæ tractarent; qua sedulitate, qua fide in iis se gererent gessissentue. Quippe hisce percotationibus explorari facilius posse, ecquid oporteret restitui, quam si generatim interrogarentur, num quid cuiquam restituere deberent: quia ad tales interrogationes prorsus abnuere consueverint, seu lucri cupiditate, seu rerum inscitia excæcati. Confessionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibusdam ac remediis curandas. Neq; tamen à confessione absoluendos illico, sed posteaquam ea, quæ deberent, persoluerint. Itaque Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum: Confessionem non continuò sequetur absolutio, sed biduum triduümue dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim animorum maculas lacrymis ac voluntariis eluant pœnis. Si quid cui debent, restituant: simulatibus, si quas habent, depositis, redeant cum inimicis in gratiam: à libidinis consuetudine, cæterisque, quibus impliciti sunt flagitiis expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt rectius quam sequuntur. Namque istiusmodi homines

Differenda interdū absolutio.

in

in ipsa confessione promittunt se cuncta facturos: post absolutionem, fidei datae immemores, promissa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum est, ut hi absoluendi repræsentent, quod præstare debent absoluti. De nutantibus verò in fide confirmandis, hæc eidem Gaspari præcepta dedit: Nonnullos reperies, atque utinam non multos, in Sacramentorum, maximè verò Eucharistiæ, labantes fide, siue quòd iamdiu eius fructu carent, siue quòd magnam consuetudinem habent cum Ethnicis, seu quòd impura quorundam Sacerdotum vita apud imperitos, huius Sacramenti officit maiestati. Cum his igitur sic agendum erit, ut primò suspiciones eorum ac dubitationes elicias, deinde eos docendo in fide confirmes: ut verum Christi corpus in eo mysterio contineri haud dubiè credant. Nec aliud præsentius tanti mali remedium est, quàm pia ac diligens ipsius Eucharistiæ frequentatio. Iam verò quoniam in familiaritate mulierum ferme plus periculi est, quàm emolumenti; magnopere auctor erat confessoriis, ut in confessionibus, in colloquiis, in congressibus earum, in reconciliatione cum coniugibus cauti essent, intentique ad suspiciones rumoresque hominum, non tantùm ad culpam criminem-

*Nutantés
in fide confirmandi.*

*Mulierum
familiaritas periculosa.*

*Cum mu-
lieribus cau-
rè agendū.*

*Viripotius
excolendi
quàm vxo-
res.*

ue vitandum. Quibus de rebus egregia fanè ac salubria P. Gaspari, Vicario suo, reliquit monita: quæ attexere operæ præ-
tium duxi. Cum mulieribus, inquit, cuiusvis conditionis non nisi luce palam, atque in publico, hoc est, in æde sacra, colloquæris. Nec vnquam domum ad eas ibis, nisi fortè grauiore aliquo casu cogente, veluti agræ cuiuspiam confessionem excepturus: ac tum curandum erit sedulo, vt illius maritus adsit, aut cognatus aliquis, aut certè vicinus idoneus. Si fortè virginem aut viduam conueniri oportebit, ad eius domum accedes viris spectatæ integritatis comitantibus: quorum scilicet comitatus non solum offensionem, verùm etiam suspicionem hominum excludat. Talia verò officia conueniendarum mulierum & rara sint, & necessaria. Quippe lubricum negotium est: vbi minimum lucri fit maximo periculo. Et quoniam femina (quæ mobilitas ac leuitas muliebris ingenij est) plerumq; multum negotij confessariis faceßunt; cum eis hæc maximè tenenda cautio, vt viros Christo adiunctos impensius excolas, quàm eorum uxores. Nā cum naturā constantiores sint viri, & ab eis domestica pendeat disciplina; rectius profectò apud eos atq; vtilius opera collocatur. Rectè enim Sapiens:

Qualis

Qualis est, inquit, rector ciuitatis, tales qui Eccles. 10.
habitant in ea. Et simul multæ offensio-
 nes sermonesque, qui oriri solent ex fe-
 minarum familiaritate, vitantur. Si quod
 inter coniuges oriatur dissidium, ad con-
 trouersiam tollendam, animosque eorum
 sedandos, omnium primùm id ages, vt
 vterque, idoneis meditationibus præ-
 parati, sacram confessionem anteactæ in-
 stituant vitæ: absolutionemque tantisper,
 si videbitur differes, vt ad vitæ emanda-
 tionem, concordiamque inter se consti-
 tuendam, paratiores reuertantur. Femi-
 nis affirmantibus se enixiùs diuinis rebus
 operam daturas, si abstineant à consuetu-
 dine virorum, neuiquam habebis fidem.
 Nam & ille muliebris feruor facilè refri-
 gescit, nec vnquam ferè suscipitur sine
 graui aliqua virorum offensione. Coram *Viri potius*
 vxore caue culpam conferas in maritum, *quàm vxo-*
 quamuis haud dubiè penes illum sit cul- *ris patrocini*
 pa; sed re in præsentia suppressa, deinde *niù susci-*
 sine arbitris eum ad vniuersam vitam cõ- *piendum.*
 fessione expiandam impelles: tum verò
 sub cõfessionem quàm modestissimè re-
 prehensū admonebis, vt enixè domesticę
 studeat concordia. Cæterū omni cura in
 id eris intentus, ne (quod suspiciosissimū
 negotium est) vxoris patron⁹ videaris ve-
 nire contra virum. Itaque is amicè ac sen-
 su

sum

›› sim monendus est primuū, vt suam ipse
 ›› culpam agnoscat, demum comiter ac be-
 ›› neuolè absoluendus. Indorum quippe a-
 ›› nimos amor flectit, vis frangit. Ca-
 ›› uebis igitur (vt paulo dixi) virum accu-
 ›› sare audiente coniuge. Namq; vt mulie-
 ›› res naturā subimpudentes sunt, ac proca-
 ›› ces; faciles viris ipsorū noxas, præsertim
 ›› Sacerdotum iudicio damnatas, obiciūt.
 ›› Quocirca satius est, re dissimulata, ob-
 ›› seruantiam maritis debitam proponere
 ›› vxoribus, & simul demonstrare ipsas, quòd
 ›› viros suos sæpe despiciatui habuerint, gra-
 ›› ui utique dignas esse pœna. Proinde de-
 ›› missè ac patienter, si quid molestiæ à vi-
 ›› ris accidat, perferre, eisq; dicto audien-
 ›› tes esse debere. Noli facilè coniugis alte-
 ›› rius de altero quærelis credere (sæpe e-
 ›› nim & falluntur & fallunt) sed summa
 ›› animi æquitate vtrumque audies; nec
 ›› incognitā causā condemnabis alter-
 ›› utrum. Hoc eo dico, vt illis ad concor-
 ›› diam, tibi ad suspicionum fugam facilior
 ›› pateat via. Quòd si quando eos inter se
 ›› reconciliare ipse nequiueris, ad Episco-
 ›› pum aut Vicarium generalem rem totam
 ›› reijcies; sed ita, vt neutrū lædas è dissiden-
 ›› tibus. Lædas autem necesse est alterum, si
 ›› alteri magis fauere videaris. Summa pro-
 ›› fectò prudentia opus est, vt ne quid offē-
 ›› das.

das in hoc seculo nequam : longeq; pro-
 spiciendi aduersi rerum, quæ geruntur, e-
 uentus. *Aduersarius namq; noster Dia-*
bolus non cessat, sed circuit quarens quæ
deuoret. Maximæ autem imprudentiæ
 est, incommoda quæ ex actionibus quã-
 uis bono animo susceptis euenire possunt,
 minimè prouidere. Pecuniam verò neque
 restitutionis, neque eleemosynæ nomine
 diuidendam pauperibus accipere Con-
 fessarios volebat: sed vel arbitrio erogan-
 tium, certis pijs operibus nominatim,
 vel generatim Sodalitati Misericordiæ
 attribuendam curare: ita meliùs & So-
 dales illos pauperum egestati, & Sacer-
 dotes Societatis famæ vti consulturos. Si
 qui ad confessionem accederent, nō tam
 peccatis, animorumque suorum incom-
 modis, quàm paupertati ac difficultati-
 bus rei familiaris remediū petitori; hos,
 de vsu sacræ confessionis admonitos, ad
 curam traduci iubebat animorum, de-
 monstrando quanto grauiora animorum
 incommoda sint, quàm corporum, po-
 stemò, si videretur, Sodalitati Misericor-
 diæ commendari. Confitentibus porrò
 non festinatam, sed diligentem nauandã
 operam censebat, monens, vt præoptarēt
 confessiones paucas rite factas audire,
 quàm multas temere properatas. *Qui e-*
nim

“
 “
 1. Petr. 5.
 “
 “
 “
 “
Pecunia
nulla ratio
ne accipi-
enda.

nim confitentes intentiùs excuti posse?
 qui eorum odiis, fraudibus, vitiis adhi-
 beri remedia, nisi per otium curarentur?
 An verò dubium esse, quin confessio vna
 rectè instituta multis cursim peractis præ-
 ferenda sit? cùm præsertim confessio adi-
 tum aperiat ad Sacrosanctum Eucharis-
 tiæ Sacramentum. Postremò monebat
 Confessarios, vt, sumpto spatio, in audi-
 tas ab se confessiones inquirentes vide-
 rent intentiùs, ecquid in delictis aliorum
 expiandis ipsi deliquissent, &, quæcunq;
 in alienis peccassent confessionibus, ex-
 piarent suis, eaque delicta in posterum
 summa vi corrigere niterentur. Hoc
 quippe studium ad rectè atque vtiliter
 Confessarij munus obeundum maximo
 adiumento futurum.

CAPVT XVIII.

Cultores animorum quales optaret.

SO C I O S Ethnicis conuertendis neo-
 phytisq; erudiendis operam daturos
 non modò lectissimos requirebat, sed
 huic rei maximè deditos; vt nihil quam-
 uis speciosum ac præclarum, tanta præ-
 ferrent negotio, quo nihil superis gratius,
 mortalibus vtili⁹ reperiretur. Nec magni-
 ficus